

BELLUM SCYTHICUM, IN QUO INITIA CYRO FELICIA; FINIS AUTEM
LUCTUOSISSIMUS. (c. 8.)

Cyrus, subacta Asia, et universo oriente in potestatem redacto, Scythis bellum infert. Erat eo tempore Scytharum regina Tomyris, quae non muliebriter adventu hostium territa, cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, et sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata, et hostibus objectu fluminis fugam difficiliorem. Itaque Cyrus trajectis copiis, cum aliquantisper in Scythiam processisset, castra metatus est. Dein postera die, cum simulato metu, quasi refugiens, castra deseruisset, vini affatim, et ea, quae epulis erant necessaria, reliquit. Quod cum nuntiatum reginae esset, adolescentulum filium ad insequendum eum cum tertia parte copiarum mittit. Cum ventum ad Cyri castra esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad praelium venisset, omissis hostibus, insuetos barbaros vino se onerare patitur: priusque Scythae ebrietate, quam bello vincuntur. Nam cognitis his, Cyrus reversus per noctem, saucios opprimit, omnesque Scythas cum reginae filio interficit. Amisso tanto exercitu, et quod gravius dolendum, unico filio, Tomyris orbitatis dolorem non in lacrymas effudit, sed in ultionis solatia intendit; hostesque recenti victoria exultantes, pari insidiarum fraude circumvenit. Quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum, refugiens, Cyrum ad angustias usque perduxit. Ibi, compositis in montibus insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidavit. In qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantae cladis superfuit. Caput Cyri amputatum, in utrem humano sanguine repletum conjici regina jubet, cum hac exprobratione crudelitatis: Satia te, inquit, sanguine, quem sitisti, cujusque insatiabilis semper fuisti. Cyrus regnavit annos XXX;